

quilibet uerus et legitimus procurator, actor et factor facere et exercere posset ac si ipsemet constituens personaliter interesset, dans et concedens procuratori suo prefato et substituto seu substituendo ab eo in predictis plenum et uniuersale et speciale mandatum cum plena et generali et speciali administratione ac etiam potestate, promictens se ratum, gratum et firmum habere perpetuo totum et quicquid per dictum suum procuratorem et substitutum seu substituendum, ab eo factum fuerit in predictis uel aliquo predictorum, sub ypotheca et obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum, uolensque se predictum suum procuratorem et substitutum seu substituendum ab eo ab omni honore satisfactionis releuare, fideiubendo pro eis de predictis in omnem casum et euentum, promisit mihi notario infrascripto tanquam publice persone stipulanti et recipienti uice et nomine omnium quorum interest uel interesse poterit, de iudicio sisti et iudicato soluendo. Actum in Salona iuxta flumen prope ecclesiam sancte Marie, presentibus Nichola Cimigule de Tragurio et Georgio Cipriani Bosanni testibus, et ser Çore ser Petri de Spaletio examinatore.

VIII

1342, 17 aprile.

IV, I, 141.

(*Protocollo c. s.*). Die decimo septimo aprilis. Ser Jannes Vulcine, tanquam syndicus syndicario nomine comunis et hominum ciuitatis Spaleti, cum auctoritate dicti domini comitis et cum consensu et uoluntate consilii generalis dicte ciuitatis ibidem ad sonum campane et uocem preconis ut moris est congregati, dedit, uendidit et deliberauit ad incantum publicum per Petrolum riuarum comunis, ibidem presentem et incantantem, Nichole Russini tanquam plus offerenti, ementi et recipienti pro se et cui comictere uoluerit, omnes fructus, redditus et prouentus doane, becharie et piscarie comunis predicti, exigendos, coligendos et percipiendos pro uno anno, crastina die decimo octauo presentis mensis aprilis initium assumpturo et abinde subsecuturo, complendo secundum modum et ordinem infrascriptum: In primis pro qualibet bestia grossa que occiditur in macello, scilicet, boue, uacha uel manço, uenditor debeat soluere tres uenetos grossos. Item pro qualibet bestia minuta que occiditur in macello, scilicet, castrato, yrcho, oue uel capra, uenditor debeat soluere duos soldos uenetorum paruorum. Item pro quolibet edo uel agno, uenditor debeat soluere duodecim uenetos paruos. Item si quis emerit aliquam bestiam grossam uel minutam siue porcinam in ciuitate Spaleti uel eius districtu et uellet extrahere per mare uel per terram, debeat soluere pro doana uidelicet, pro qualibet bestia grossa tres uenetos grossos, et pro quolibet porco